

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum LXIV. Famæ hypotyposis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

## SYMBOLVM LXIV.

Famæ Hypotyposis.

Ex Ovidio 12. Metam. &amp; Virgilio 4. Aeneid.

Ethicè.

1. Rumuscotorum vanitas. 2. Famæ vis in partem utramque, spci  
& timoris.

**N**ihil velocius, nihil ad fallendum perniciösus est *Famæ*, quæ quæ latius dissipatur, hoc validior evadit. Perpetuò crescit, & in majus se attollit; initio parva, mox major, denique maxima, ad eò, ut caput condat inter nubila. Primos eius susurros, paulatim excipiunt graviora murmura, & hæc per *Rumores* ubique vagantes differuntur. Monstrum est variabile, ex meris plumis, oculis, linguis, auribus conflatum. Noctu maximè volatum exercet cum stridore per terras; est enim principiō obscura, quietis impatiens, deinde fit clarior, & super tectorum culmina & altas turres confidet, veluti in specula, intenta ad omnes rumuscotorum, & rerum novarum auras captandas. Ficta simul ac vera, facta & infecta per urbes & provincias, cum metu gaudiōque spargit. Domicilium in medio Mundi collocavit, unde ex edita prospiciens arce, omnia, quæcumque inter mortales aguntur, oculis arbitratur & auribus. Innumeri ducunt ad eius domum aditus, mille fenestræ ac foramina. Portæ diu, noctūque patent, ut *visa* omnia & *audita* expeditò se inferre queant. Parietes sunt ex ære structi, nunquam non resonantes, & audita reciprocantes, atque ex aliis in alias aures diffundentes. Nihil tam inimicum loco, quām silentium, nulla quies intus: continui fremitus, strepitus, murmura, qualia ab extremis fluctuum aut tonitruorum sonoribus rediduntur. Atria nunquam non plena turbis, aliisque recedentibus, adveniunt aliæ, quæ miris modis augent audita, & novis identidem coloribus variant.

Ethica.

I. (a) Novarum rerum & rumorum gestores, Plautus *Famigeratores* & *rumigerulos* vocat, nos vulgo *Novellantes* appellamus, quos virtus summat;

(a) Rumuscotorum vanitas.

summates, præfertim bellī duces, pretiō conducunt. Sed etiam sine pre-  
tio sunt ubique venales huius generis fabulatores, nugigeruli & nuginen-  
di, quos festivè describit Megaronides apud memoratum Comicum in  
Trinummo Act. r. Scena 2. ubi ait:

Nihil est profectō stultius, neque stolidius,  
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,  
Neque confidentiloquius, neque perjurius,  
Quām urbani assidui cives, quos scurras

vocant

Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sc̄unt.  
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.  
Sciunt id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit:  
Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove:  
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen illi  
sciunt.

Falso' an verò laudent, culpant, quem velint,  
Non flocci faciunt: dum illud, quod libeat, sc̄iant.

Nil expressius hac imagine hominum malè feriatorum, & unde unde  
rumsculos venantium. In quā tribu etiam feminæ non raro nomen suum  
profitentur, curiosæ, garrulæ, rerum novarum exploratrices, in quas falsè  
Satyricus.

Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe:  
Quid Seres, quid Thraces agant.  
Instantem Regi, Armenio, Parthoque cometem  
Prima videt: famam, rumor esque illa recentes:  
Excipit ad portas: quosdam facitisse Niphatem  
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri:  
Diluvio: nutare urbes, subsidere terras.  
Quocunque in trivio, cuicunque est obvia narrat.

Juvenalis Sat. 6.

De Fama Virgil. loc. cit.

Fama malum, quō non aliud velocius ullum  
Mobilitate vigeat, virisque acquirit eundo.

Lepidum huius rei parigma Plutarchus adserit, & ex eo P. Hieremias Drexelius. De vitiis linguae c. 49. Romanus Senatus occultum aliquod consilium per dies aliquot intra se agitaverat. Cumque res ea multum obscuritatis haberet, variisque excitaret suspiciones, quendam Sena-

Senatorum, mulier aliàs pudica, sed tamen mulier, majorem in modum precibus urgebat, ut arcanum sibi aperiret, dejerans, se rem silentio tecum. Ille, ut stultitiae eam suæ argueret, res, ait, prodigiosa ad nos delata est à Sacetdotibus: cassita (seu alauda) visa est volans cum galea aurea, & hasta: de eo ostento unà cum auguribus deliberamus, & disquirimus anxiè, bonine an mali aliquid portendat; tu verò tace. Hæc locutus, in forum processit. At vero mulier ancillam, quæ primum intraverat, arripiens, pectus suum plangens, simulque silentii fidem obstringens, rem, ut accepit, narrat. Hæc alteri eiusdem servitutis sociæ: & ista famulo curiosius sciscitant exponit. Hoc modo fabula in forum devoluta, auctorem præcucurrit. Percontatur ex eo alter & alter, & tertius, & quartus, an cassitam cum hasta & aurea casside volantem conspexerit; eo de ostento Senatum haberi à principibus civitatis. Subridens ille, ad magistratum accedit (nam & hunc terrore affecerat rumor) cùmque trepidatione liberat. Ut autem mulierem ulciseretur, domum reversus: Mulier perdidisti me, inquit, pruritu linguae: compertum est enim è domo mea, in publicum elatum esse arcanum: itaque ob tuam incontinentiam solum mutare cogor. Euntique inficias, & dicenti: Quasi verò tu non trecentesimus hæc audieris? Quomodo, inquit, trecentesimus, qui te urgente, ut periculum facerem, possesne auditæ reticere, isthuc confinxerim? Ecce velocitatem famæ, & eundo vires acquirentem!

Pergit Mantuanus vates:

Parva metu primo, mox sese attollit in auras,  
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

Pelignus verò. 9. Metam.

--- Fama loquax, quæ veris addere falso  
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Quotidianus hic lusus est: nova semper somnia, & recentes fabulae sparguntur. Vidi decem lupos, ait iste; istum mox sequitur, qui dicat: visos esse viginti. Brevi fama percrebrescit, esse hominem, qui viderit lupos simul triginta. Tandem unum lupum fuisse visum comperitur, aut simile quid lupo. Pari modo creberrime è culice producitur elephantus, formidanda bellua ex alato vermiculo. Miserat Moyses, qui uberes illas Chanantidis terras, certà oculorum fide explorarent. At illi redierunt, & omnia in majus efferentes; Maxima, inquiunt multitudo est, & nobis statu procerior: urbes magna. Ibi vidimus monstra quedam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur. Num. 13. v. 34.

B b b

II. (b)

II. (b) Has hyperbolas configit Fama perinde mendax , ut loquax.

----- magnas territat urbes

Tam facti , pravique tenax , quam nuntia veri.

Et juxta Ovidium , Comites Famæ sunt:

Illic Credulitas , illic temerarius Error ,

Vanaque Lætitia est , confernatique timores.

Unde Claudianus nigras sequiori Famæ pennas affingit

Famâque nigrantes succincta pavoribus alas.

Candentes ei dant Poëtæ , cum lata nuntiat.

Et Silius de ea.

Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.

Statius. 3. Thebaid. pingit Famam ante currum Martis volantem hunc in modum.

----- At vigil omni

Fama sono , varios rerum succincta tumultus

Antevolat currum , flatuque impulsa gementum

Alipedum , trepidas denso cum murmure plumas

Excutit. Urget enim stimulis auriga cruentis

Facta infecta loqui.

Sapienter Seneca Epistola. 13. Illudit nobis illa , quæ confidere bellum solet , Fama. Et Curt. lib. 3.c. 13. Famâ stant bella , & sœpè etiam quod falso creditum est , veri vicem obtinuit. Accedit Livius : Fama bellum conficit , & parva momenta in spem , metumque impellunt animos. Tacitus quoque : Fama in novis cœptis validissima est : Nam primis eventibus metus , aut fiducia gignitur : prout enim prima cesserint , futura sunt universa. Idem de moribus German. Ipsa plerumque bella famâ profligant. Sed contra rumores firmandus est animus ; Livius : adverlus Famam , rumorisque hominum firmus stabis. Et Paterculus. Nunquam consilia ducis , judicio exercitus , sed exercitus providentiâ Ducas regendus est. Seneca :

Male imperatur , cum regit vulgus Duces :

Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Et alter Seneca Philosophus : Plura sunt , quæ nos terrent , quam quæ opprimunt ; & sœpè opinione amplius laboramus , quam re. Cirò accedimus opinioni , & sic vertimus terga ; quemadmodum aliquos pulvis motus , fuga pecorum exuit castris : aut quos aliqua fabula sine autore contruit ;

(b) Fama vis in partem utramque.

terruit; nescio, quomodo vana perturbent: vera enim modum suum habent. Verisimile est, aliquid futurum mali, non statim verum est. Quam multa inexpectata venerunt; quam multa exspectata, nunquam compa- ruerunt? Nimirum etiam leones terrentur larvis. Fama haud dissimilis est, illi ranæ. De qua in fabellis: Leo auditus ranæ clamoribus, primum percelli animo cœpit; quod crederet ingentem animantem tanta vociferationis autorem esse. Dum animo confirmato, contra illum clamatorem se parat, & ad pugnam accingit, ecce videt prorepentem ranulam de propinquo lacu, quam simul indignatione, simuletiam pudore affectus protinus pede conculcatam attrivit. Quod doceretur non ad quemlibet strepitum esse expavescendum, neque re inexplorata terri oportere. In proverbiis *Terror & Casus Panicus* dicitur, cum repentina conflagrations immittuntur animis, lymphaticis simillimæ, ratione & mente carentes. De quo, Symb. 102. Veteres illorum tumultuum concitatorem Pana faciebant, ego cum Poëtis & historicis ajo illorum Concitatrixem Famam esse.

## SYMBOLVM LXV.

## Hippolytus adolescens castimoniæ Decus.

15. Metam. &amp; 7. Eneid.

## Ethicè.

1. Laus venationis. 2. Castitatis pericula. 3. Castitas fortis. 4. Incontinentia muliebris. 5. Castitatis præmia. 6. Inconsulta credulitas. 7. Medicorum laus. 8. Medicorum vituperatio. 9. Medicorum arrogancia. 10. Medicorum honores. 11. Medicorum conditiones.

**H**ippolytus Thesei & Hippolyte Amazonis (quidam *Antiopen* appellant) filius, prout habitis seminarum amoribus, cœlibem agebat vitam, Dianaque studiis addictus, sese venatu oblectabat, haud ignarus, pudicitiam tutius inter feras, quam homines versari: Otium, capitalem eius hostem, exercitiis ingenuo juvete dignis profligari. Aberat domo (Athenis) Theseus, cum *Phœdra* noverca, dudum privigni formâ capta, absentiâque mariti, occasionem explendi turpis desiderii rata, castissimum juvenem ausa est ad flagitium sollicitare. Exhorrescit ille facinus nefandum, & mulieris impudentiam generosa severitate à se repellit. Illa nul-

B b b 2

lum